



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Ethicæ Tractatus Quintus. Præmium Virtutiis & Pæna Peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

ETHICÆ

Tractatus Quintus.

Premium Virtutis & Pena Peccati.

PROOEMIUM.

Premium Virtutis est Finis Operis ipsius Virtutis, seu tale aliquod, ad quod Virtus ex naturâ sua servit & conducit, non vero est Finis Operantis, boni enim ob sua Præmia non agunt, nec hos eos movet ut legi Divine pareant, quod sciant sibi, si id fecerunt, bene fore, quæ omnia satis patent ex antedictis.

Ad Premium Virtutis hæc requiruntur conditiones.

Prima debet esse proprietas Virtutis, nam Virtus ipsa, eaque quæ ad essentiam ejus vel constituendo vel efficiendo concurrunt, non recte inter Præmia Virtutis censentur, quamvis enim illud Poëta verissimum sit.

Ipsa sibi merces rerum pulcherrima
Virtus.

Tamen hoc non competit Virtuti, ut Virtus est, sed ut ipsamet etiam proprietas quadam sui ipsius est; quod quo pacto verum sit, infra inter Præmia Virtutis demonstrabimur. Similiter per hanc conditionem excluduntur Præmia accidentalia Virtutis (ut honorari, amari ab hominibus, regere & docere eos, divitiis affluere &c.) quæ non sunt vera Præmia Virtutis, ut infra satis patebit, sed his dignum esse, hæc mereri & Præmia Virtutis sunt & etiam proprietates.

Secunda conditio ut non referatur ad Officium, sed sit aliquid Officio posterius quasi: illa enim proprietatis Virtutis, quæ ad Officium referuntur, (ut diligentia, Obedientia & reliquæ Cardinales) non recte ponuntur inter Præmia; hæc enim adhuc spectant ad opus nec dum ad levamen & Præmium.

Tertia conditio est, ut Præmium Virtutis sit Bonum Fucundum ipsius Operantis: unde Gloria & honor Dei quatenus talia, quatenusque ad Deum referuntur ipsum, & in eo

eo sistunt, etiamsi sint proprietates Virtutis,
etiam ipso Virtutis Officio posteriores, non
sunt tamen Præmia: quia scil. hæcenus non
respiciunt Operantem tanquam Bonum ali-
quod Fecundum ejus.

f 5

S. I. Præ

§. I. *Primum Virtutis Premium,*

AMICITIA CUM DEO.

Amicitia non est aliud, quam amor mutuus: talis vero necessario intercedit inter Deum & virum bonum: Vir probus enim amat Deum, amando scil. Rationem & legem ejus. (Tract. 3. §. 8.) igitur necesse est Deus eum redamet. Non est enim nisi abjectissimi, turpissimique hominis, non redamare illum, à quo se videat serio & verè amari; quæ abjectio & turpitudine in immensum absunt à Divina mente, ut quæ generosissima sit rerum omnium, ac proinde amari à nemine posse, quem non infinites plus redamet.

Non dico tamen amorem nostrum erga Deum hoc mereri, ut Deus nos redamet: sed dico tantum esse argumentum certissimum & infallibile, si nos Deum amemus, ut ipse item nos amet, alioqui certissimum est, Deum primo amare virum bonum, ac inter prima effecta amoris istius esse amorem reciprocum, viri boni Deum redamantis, quem amorem Deus ei instillaverit, & quo solo amore bonus est.

Etiam si inter virum & Deum hoc pacto sit Amicitia seu amor mutuus; non est tamen

men amor utrinq; amor ejusdem Rationis :
nam vir bonus amat Deum amore Obe-
dientiæ, & quidem non in Deum ipsum
surgente (utpote qui eo sublimior longe
celliorque sit, quam ut ad illum pertingat)
sed in legem Dei seu Rationem terminante
ac desinente, (ut patet satis ex iis, quæ
Tract. 3. §. 8. dicta sunt & alibi, Deus au-
tem amat virum bonum amore benevo-
lentia, quâ ipsi benefacere, ipsi bona ju-
cunda elargiri vult ; qui quidem amor
tendit & pertingit usque ad ipsum virum
bonum, sed non videtur in eo stare, at
pervadere ac ulterius tendere in ipsum
Deum tanquam Finem Cui : Deus enim
omnia ad se ordinat, omniaque sui causa
facit : estque ei soli hoc licitum & hone-
stum, nobis omnibus turpe atque inde-
cens, ut satis patet Tract. 1. de admini-
culo humilitatis. Tales esse utrimque hos
amores viri quidem boni erga Deum Obe-
dientiæ ; Dei erga virum benevolentia,
nec esse posse alios aliquos amores inter
eos, satis clarum est ex naturâ amoris, &
specierum ejus : de quibus Tract. præced.
§. 1. sub initio, & aliquatenus ostendimus
Tract. 1. sub finem de fructu Humilitatis.

F E L I C I T A S.

Vir bonus Deum amat (amore scil. proportionato, id est, amore Obedientiæ) quantum potest: nam eum unice amat: cum amor in duo simul cadere non possit, & si posset, amor tamen Dei seu legis ejus non compatitur amorem erga aliud aliquid: quæ omnia demonstrata sunt Tract. 1. §. 1, 2. ubi consule simul etiam annotata. Inde vero sequitur Deum etiam amare virum bonum (rursus amore proportionato, id est, hic amore benevolentiae) quantum Deus potest: impossibile enim est, & summâ illâ generositate alienissimum, ut sinat se in amore superari, imo & sinat se in proportione superari. Deus autem superaretur proportione à viro bono, si vir quidem bonus quantum posset amaret; Deus non quantum posset redamaret: quod absit, & ut diximus, alienissimum est illo rerum omnium generosissimo. Cum igitur vir bonus ametur à Deo, id est, ab omnipotente amore benevolentiae tanto, ut nullus major, aut concipi aut cogitari possit: necessum est ut Felicissimus sit vir bonus, habeatque omnia.

omnia, quæ ex vera benevolentia concedi alicui optative possunt: nihil enim hic, quod impediatur: qui bene vult omnipotens est, quod ergo bene voluit bene faciet: bene voluit in immensum, & quantum Deus potuit, dabit ergo immensa beneficia, & quantum Deus poterit.

Felicitas illa viri boni etiam demonstratur ex notione felicitatis: felix enim est, cui omnia succedunt ex animi sententia: atque animi sententia seu propositum viri boni nullum est aliud, quam ut id agat, quod Ratio jubet. (Qui enim aliam animi sententiam, qui aliud quodcunque tandem propositum habet, is non est bonus) atque contra talem animi sui sententiam nunquam potest viro bono aliquid accidere, ut latius nonnihil deduximus Tract. 1. de fructu Obedientiæ: ibi enim libertatem; quæ mediam partem felicitatis constituit, necessario viro bono competere, nunquam posse separari ab eo, quamdiu bonus est, satis demonstravimus. Felicitas enim comprehendit duas partes, scilicet nihil agere contra animi sententiam, seu nihil agere illibenter (in quâ parte libertas, consistit) & nihil pati contra animi sui sententiam; (in quo consistit altera pars felicitatis, quæ hic libertati opponitur

tur in hoc genere, potestque vocari felicitas stricte dicta) quicquid igitur vir bonus agit, libenter agit, cum nihil ei agere libeat, nisi quod Ratio agendum esse dicat, quicquid patitur, libenter patitur, cum in Passione qua Passione est (& sic tantum ad ipsum pertinet) nihil sit contra Rationem, adeoque nihil etiam contra animi sui sententiam: atque hæc duæ demonstrationes tam sunt convincentes, ut nihil sit, quod eas obscurare possit, quamdiu oculum intendimus in vim demonstrationis, quamdiu mentem non avertimus ab illâ evidentiâ, cum tamen admodum proni sumus ad abeundum, vel potius recedendum à demonstratione illâ ad sensuum nostrorum præjudicia: facile fit, ut quod jam demonstratum est, incipiat nobis valde paradoxum, imo ridiculum subinde atque ineptum videri: videmur enim viros bonos cum multis sæpe Calamitatibus conflictari, pauperes eos esse, adhæc sæpe infamia laborare, sæpe morbis, sæpe aliorum hominum sævitiâ & crudelitate vexari, imo & per mille mortes necari. Sed mentem revocemus ad præcedentes demonstrationes, & abeamus ab his sensuum nostrorum præjudiciis, videbimus clare has non esse Calamitates, cum in virum

virum bonum inciderunt : nunquid enim adeo hæc immittuntur ei ? homines enim hæc in re nihil valere apodictice demonstratum est , ubi motus omnibus hominibus tam efficaciter interdictus est , & Deo soli datus , cui soli debetur (vide Tract. i. de inspectione sui) nunquid igitur ab optimo , simulque amicissimo atque benevolentissimo , & qui hoc unum velit , viro bono ut bene sit : non quid item ab omnipotente , & qui cum benefacere constituerit , impediri à nemine potest , immittuntur ? qui ergo fieri potest , ut mala sint ista , ut ad Calamitatem aliquam spectent ? Nunquid ergo vir bonus libenter hæc subit omnia ? estne in his omnibus aliquid contra animi ejus sententiam , contra quam nihil esse potest , nisi quod contra Rationem est ? Aut estne in his subeundis atque perpetiendis aliquid contra Rationem ? Nihil ergo apparet , cur non dicamus virum esse felicissimum , etiam cum in Phalaridis Taurum conjectus fuerit , & in omnibus tam vulgo decantatis , miserisque tam detestatis versatur.

Sed affligitur interim vir bonus. Resp. Non esse afflictionem , quæ non sit contra animi sententiam seu propositum : afflictio tamen vulgo dicitur , quia tale quid est ,
quod

quod contra sententiam animi vulgaribus obvenit, quodque invitè & cum reluctantiâ patiuntur.

Replicabis, saltem hæc molesta sunt sensibus, & sic plenam atque perfectam felicitatem interturbant.

Resp. Esto quod animo viri boni prout sentiens est, hæc molesta sint atque tristia; solus sensus Calamitatem inferre non potest, cum sæpe volupe nobis sit, & omnino desideremus id, quod sensui molestiam creat, ut exercitiis atque laboribus, luctâ & periculis delectantur & gestiunt multi. Itaque sola animi obluctatio, solæ ejus ingratæ Calamitatem & infelicitatem creare possunt.

At mallet vir bonus his sensuum afflictionibus carere, si id salva Ratione ac lege Dei liceret.

Resp. sic Stoici dicunt, qui ideo non malas quidem illas vulgi Calamitates, sed saltem posthabendas esse dicunt, & contraria bona, nobis bona quidem, sed præferenda. Sed vehementer errant, ut & Cicero in libello suo de finibus satis bene observat. Dicimus ergo nos virum bonum, nec præferre quicquam nec postponere, relinquere illa in Medio, tantum curare id, quod Ratio dicit; Ratio autem dicit, cum

cum hæc à Deo immittuntur, subeunda esse, non reluctandum non contranitendum, non unum præ alio feligendum aut optandum: optio enim nobis nulla relinquitur, pensum autem nobis ad minutissimas usque minutias & præscriptum est, & rigidissime exigitur.

§. 3. Tertium Præmium Virtutis.

P A X.

Pax illa potissimum consistit in quiete & vacuitate Passionum, seu potius absentia stimuli istius, quam habent Passiones ad concitandum & turbandum animum, ad urgendum ut multa faciat, multa omittat gratiâ & contemplatione ipsarum (quem quidem stimulum præced. tract. ostendimus nihil aliud esse, quam propensionem quandam & proclivitatem animi nostri ad agendum omittendumve gratiâ Passionum:) putat quidem vulgus sedare se Passionem, cum morem ei gessit; V. G. sedare se tristitiam, si in querelas, in lacrymas se effundant; iram, si vindicent & verberent: timorem, si stationem deserant & fugiant. Et hoc etiam verum est, si ad punctum illud temporis, quo Passioni optem-

obtemperatur, animum attendamus: nam quo tempore lacrymantur, & queruntur dolor remittit, quo tempore vindicant & verberant, ira pacatur, & timor cum fugiunt sedatur. Sed si ad ulteriora tempora etiam animum attendamus, videbimus Passiones omnes obsequio non remitti, non minui, non sedari; sed contendere, crescere & efferari: nam qui sæpe lacrymatur & queritur, tandem minimis de causis totus lacrymabundus, totus querulus fit. Qui sæpe verberat & injurias suas stricte persequitur, tandem etiam ad minimas occasiones excandescit & furit: & sic de aliis.

Contra vero, qui Passionibus suis non obtemperat, ille quidem si reluctetur, tanto etiam magis irritat & laceffit eas, & consequenter auget & confirmat (ut satis etiam supra præced. tract. vidimus, ubi de vita Philosophica.)

Igitur hisce flammis (Passionibus inquam) obsequium velut oleum est, renifus velut flatus, utroque augentur & crescunt: restant igitur soli viri boni (quos præced. tract. ubi de vitâ Christianâ, descripsimus) Passiones suas feliciter superant, nunquam tamen eas superare directo volunt (quid enim esset hoc aliud, quam

quam suam pacem, suam quietem quæ-
rere, & aperte desciscere à fundamento
humilitatis ?) sed auscultantes Rationi,
nec obsequuntur, nec obnituntur suis
Passionibus, pabulum iis subducunt (id
est, obsequium) flatum prohibent, & om-
ne irritamentum (id est, non obnituntur
suis Passionibus) quid restat, nisi ut Pas-
siones quam citissime intermorianantur in
illis ?

§. 4. Quartum Præmium Virtutis.

DOCTRINA ATQUE DISCIPLINA.

Ex Passionum illa interneccione oritur
in viro bono altera quædam animi
quies & profundum silentium: sunt enim
Passiones illæ, velut insolentes quidam
& rixosi pueri circa mentis musæum cur-
sitantes & obstrepentes, impediensque
animum in auscultatione Rationis, in qua
naturam diligentia reposuimus: his igi-
tur extinctis in viro bono, manet ipse in
alto silentio, totus, nullo impediens, in
Ratione defixus, vidensque clare quid illa
dicat, sapiens redditur, de quo diximus
Tract. I. circa fructum diligentia.

Sapientia vero ad os deducta, doctrina
est, facileque illa in viro bono ad os dedu-
citur,

citur, nam quod bene intelligimus, quodque sæpe apud animum nostrum perpendimus, id nos facile & ad aliorum captum feliciter edisserere, nimis quam notum est, & Poëta in hanc rem præclare:

Verbaque prævisam rem non invita sequuntur.

Disciplina non est aliud quam sapientia aliorum animus instillata per doctrinam: ita enim à natura comparati sumus, ut quæ sapiens aliquis diuturna meditatione, ac Rationis auscultatione circa æternas veritates consecutus est, ea per doctrinam aliis communicet: & hæc item sic communicata, ab aliis longe facilius capiantur, & breviori tempore intelligantur, quam si ipsi suo Marte, suo studio, sua diligentia ad Rationem attendendo, eruere illa debuissent: sic videmus in Philosophicis speculationibus, imo etiam in artium mechanicarum exercitiis, paucis mensibus vel annis ea tradi à sapiente, vel artifice, quæ plurimorum annorum lucubratione & studio detecta atq; inventa fuere: atque ita tradi, ut facile ab aliis disci (qui hinc discipuli vocantur) capi & intelligi possunt. Quandiu sapientia aliorum animis à doctore instillata, pendet adhuc à directione ejus, & opus habet ab eo foveri, & quasi

& quasi adhuc manu-ducitur, tamdiu tantum disciplina dicitur: fit vero tandem etiam doctrina in discipulis, quando jam proprio Marte, suo studio, suâque contemplatione & auscultatione Rationis, eadem illa assequuntur, quæ pridem non nisi operâ docentis assequebantur: sæpiusque jam ruminando, & apud animum suum versando, id ulterius consequuntur, ut sapientiam suam jam etiam ad os deducant, & eloquantur, atque adeo jam & ipsi idonei sunt ut discipulos generent.

S. 5. Quintum Præmium Virtutis.

D I G N I T A S.

Dignitas plura præmia complectitur; nam imprimis vir bonus, hoc ipso, quo bonus est, amabilis est, seu omnium hominum amore dignus: Secundo, quia sapiens est, regius est, seu regno & imperio dignus. Tertio, quia doctus est, laudabilis est & admirabilis, seu laude & admiratione dignus: Quarto, quia non tantum doctus est sed doctor, atque adeo optimè de aliis meretur, hinc etiam gloriosus est seu gloria dignus.

Et I. quidem amabilis est, tum amore bene-

benevolentia, tum suo modo etiam amore Obedientia, quatenus per doctrinam suam legi Dei, & Rationem aliis manifestat. Dixi autem, *suo modo*, quia absolute loquendo, neminem amare licet isto amore præter Rationem & legem Dei: obeditur igitur viro bono tanquam præconi, legem Dei promulganti, non vero tanquam ferenti, cum nihil hic ei juris sit, & bonus inter homines esse non potest, qui ipse legem aliquam ferre suo nomine & sua auctoritate velit, sed boni legem Dei aliis jugiter promulgant & explicant. Est etiam amabilis amore affectionis, cum vir bonus sit res quædam pulcerrima, suavissima & omnino rarissima; ac proinde tenerum illum ac suavem affectum (in quo amor passio consistit) etiam tetricis & inhumanis & barbaris hominibus, imo etiam adversariis suis ac invitis (ut experientia sæpe docuit) extorquet; nonnunquam & suo quasi jure sibi vindicat: ex eodem fonte manat, quod

Vir bonus etiam sit honorabilis. Honor enim non est aliud, quam testimonium quod alteri ex concepta de virtute ejus opinione, præbemus, unde honor nemini proprie convenit, nisi probo, ac proinde non nisi cum summâ turpitudinis ac adulationis

tionis nota aliis subinde (velut divitibus, potentibus &c.) defertur. Ex eodem etiam fonte est, quod

Vir bonus sit reverendus, seu reverentiâ dignus. Reverentia enim in eo consistit, quod non quævis sine discrimine apud eum, quem vereri dicimur, agamus atque dicamus: sed multis talibus abstineamus, ex eo quod nobis ipsis non satis probentur, & cum alterius moribus ac indole minus congruere videantur. Ex qua definitione liquet virum bonum apud plebsque mortalium hac reverentiâ dignissimum esse.

II. *Quia vir bonus est sapiens*, hinc regno dignissimus est, nemo enim aptior est, ut alios regat, quam qui aliis plus sapit. Indequè nata paræmia est: *Sapiens natura rex est*. Et divinum illud Platonis nusquam non decantatum:

Beata respublica, in qua Philosophi regunt, aut Reges Philosophantur.

III. *Quia vir bonus etiam doctus est*; hinc etiam laudem meretur & admirationem: nihil enim ita solent admirari homines & laudibus efferre, quam sermonem eleganter & clare explicantem arcana naturæ ac Rationis.

IV. *Quia non doctus tantum, sed etiam doctor*

doctor est, & discipulos facile format, hinc etiam gloriâ dignus est. Gloria enim est testimonium magnis & clavis signis expressum, quod alteri damus ob rem bene gestam, egregiaque in nos merita atque beneficia: unde non est aliud, quam insignis quædam & luculenta gratiarum actio; quam sine dubio vir bonus meretur excellentissimo modo: utpote qui de omnibus optime mereatur, dum eos exemplo & doctrinâ, similes sibi facere semper studet, id est, etiam bonos, quo majus beneficium excogitari nullum potest.

Hiscæ dignitatibus (quibus vir bonus dignus est amore, honore, reverentiâ, regno, laude, admiratione, gloriâ, annexa est non tam dignitas, quam potius natura aliqua, natus est enim voluptatibus inenarrabilibus, & gaudiis, quæ vix capere potest humana mens, affluere: inquam non tam proprie dignus est istis gaudiis (quanquam & dignus est) quam benenatus est habere ista gaudia: atque hoc Præmium, non tam dignitatem, quam naturam sapit. Natus est inquam vir bonus habere hæc gaudia: tum quod consideratio Præmiorum, quæ partim recensuimus, quibus insignitum se vir bonus videt (nec enim fieri potest, ut non aliquando videat,

deat, & eorum admiratione obstupescat) hæc gaudia naturaliter injiciat: vir bonus enim aliud agens, sæpe tamen incidit, & quodammodo volens ac nolens cogitur agnoscere Præmia sua: his autem agnitis incredibilem concipit lætitiã, atque animi exultationem.

§. 6. Sextum Præmium Virtutis.

AMICITIA CUM BONIS:

Inter Bonos eosque solos proprie consistit Amicitia: soli enim hi inter se simillimi sunt: (similitudo autem Amicitia conciliatrix) soli idem volunt atque idem nolunt: boni enim omnes, non aliud volunt, quam obedire Rationi; hæc animi sui sententia, & intentione cujusque sortis, conditionis, generis, nationis sexus & ætatis sunt, omnes tamen inter se simillimi sunt: voluntas enim (ut Tract. 3. satis patuit) penes finem, quem sibi præstitutum habet, æstimari debet; finis autem omnibus bonis idem est, etiamsi Medii aliquando inter se non conveniant, quod equidem nihil facit ad discordiam voluntatis; cum voluntas non mediorum, sed finis sit: ut convenire eos facile intelligamus.

§

mus

mus, quorum alter minis, alter promissis idem extorquere à nobis conantur. Licet enim Media dissimillima sint (minæ & promissa) finis tamen idem est utrique. Sic ergo etiam boni dissimillimis Mediis in eundem tamen finem tendentes, ipsi voluntatis suæ consensu quam simillimi sunt.

Mali vero omnes sunt dissimillimi: omnes enim alia volunt, nam quisque se vult; & licet subinde videantur idem velle, hoc tamen tamdiu tantum obtinet, quamdiu mentem cogitationemque reflectimus ad Media, in quibus subinde conspirant: sed hoc non est proprie conspirare, cum voluntas Mediis non adhæreat, sed ea perlabatur tantum & transmittat, ut fini se suo affigat. Igitur cum mentem reflectimus ad finem, qui proprie voluntatis & adhæSIONIS objectum est, clarissime patebit eos non nisi diversa velle: V. G. plures avari, item avari & gloriosi, conspirant in exstruenda & adornanda eadem navi vel etiam classe, quæ in Indiam solvat, quia hæc seu navis seu classis Medium est idoneum ad fines, quos quisque diversos sibi præstitutos habet (alius enim commodum & lucrum suum, alius denique gloriam suam captat) dissentiunt igitur in finibus, qui in Mediis conveniunt: se contempla-

templatur unusquisque, & sui gratia agit quicquid agit: igitur absolute dissentiunt: nam in Mediis consentire vel dissentire, tantum secundum quid consentire vel dissentire est: ex fine vero desumitur absolutus animorum consensus vel dissensus.

Mali igitur per se dissimiles sunt (id est in fine) per accidens aliquando dissimiles sunt (id est) in Mediis contra vero boni omnes per se similes sunt: subinde vero per accidens tantum dissimiles: dissentiunt enim aliquando in Mediis, conveniunt semper in fine; alius enim forte Philosophatur, alius meret stipendia, alius mercaturam exercet, alius agrum colit, alius laborandum, alius feriandum censet subinde, alius edendum, cum alius cibo abstinendum putat: omnes tamen in eo conveniunt, Deo scil. & Rationi ut obediatur: imo subinde contradicunt boni inter se, & adversarum inter se partium ac factionum esse videntur, eo quod alter eorum laboret ignorantiam invincibili, aut laborent in æquivoco, aut alio quovis modo se mutuo non bene intelligant sine suâ culpâ; etiam tum tamen idem constantissime volunt atque nolunt, si animi sententia & propositum, si finem, si voluntatis iudicium spectes.

Cum igitur Amicitia radicalis inter homines non sit aliud, quam consensio animorum (nam idem velle, atque idem nolle, ea demum perfecta Amicitia est inquit Tullius) necessum bonos omnes & solos amicos esse. Nisi vero hæc sit radix Amicitiae: surculus tamen, qui ex illa radice nascitur, est amor mutuus: hic etiam est inter bonos, & quidem essentialiter, ita ut boni esse non possint, qui inter se non ament: alius enim summopere vult, quod alii summe bonum est, nam probus vir vult Deo & Rationi obedientiam præstari, hoc unum vult: sed etiam hoc unum atque unicum, alterius summum bonum est, ut qui etiam nihil aliud desideret, quam ut Deo atque Rationi mos geratur; utrisque igitur id unum atque solum summa votorum est: probi ergo sibi mutuo summum bonum, seu id, quod ardentissime desiderant, mutuis & ardentissimis votis optant atque volunt: hoc vero, quid est aliud, quam inter se summopere bene velle, quam inter se ardentissime amare? Notandum enim est, bonos non tantum à se obedientiam præstari velle Deo & Rationi, sed etiam quantum illis incumbit & datum est, ab aliis præstari id volunt, & ab aliis tam bene, & perfecte, quam à se. Cum enim

enim humiles sint, se & sua bona non curant: ideoque nec Virtutem ipsam curant & æstimant (quod profundissime ignorarunt veteres) quatenus ipsorum, qui eam possident, quoddam bonum est, quod satis intelligi potest ex dictatis nostris, præsertim ubi de intemperantiâ circa ultimam classem rerum secundarum versante, actum est: tantum igitur bonum Deo & Rationi obedientiam præstari, sive à se, sive ab aliis, quantum est in se, & quantum sibi incumbit. Est etiam amor quidam mutuus accidentalis tantum inter bonos, qui consistit in Præmiis accidentalibus Virtutis, quæ sibi mutuo probi deferunt: estque hæc Amicitia, sicut accidentalis est, ita etiam accidentale Præmium Virtutis, de quo jam agendum est.

§. 7. Septimum Præmium Virtutis.

ACCIDENTALE PRÆMIUM.

Hoc non est aliud, quam actus dignitatis istius, de quâ §. 5. supra: & sicut dignitas illa multiplex est, quæ Virtutem essentialiter comitatur, sic & actus, qui dignitati illi accidentaliter adhæret, multiplex etiam est, nempe amari, honorari, lauda-

laudari, coli, regere seu regem esse, esse in admiratione & favore & celebrari, adhæc gaudiis & delectationibus memorabilibus affluere: hæc inquam cum viro bono obveniunt, sunt accidentalia Præmia probitatis ejus: possunt etiam à Virtute separari, cum ante commemorata Præmia necessario cum Virtute conjuncta sint: nam vir bonus necessario est amabilis; sæpe tamen non amatur, sed odio habetur: honorabilis est, sæpe tamen non honoratur, sed contemptui habetur: reverendus est, sæpe tamen non reverentiæ, sed ludibrio est: sic etiam sæpe duram servitutem servit (quantum scil. ad exteriorem apparentiam attinet) quamvis imperio dignus sit: sic & irridetur nonnunquam, etiamsi ob doctrinam suam laudabilis sit, eo quod doctrina ejus stultitia videatur & fatuitas (quod olim Democrito accidisse videtur) & licet gloriâ dignus sit, sæpe tamen infamia laborat, eo quod disciplina ejus, impietatem sapere videatur (quod olim Socrati accidisse videtur) denique etiamsi natus sit gaudere, affligitur tamen sæpe, & cum horrore, tristitia, tædio & similibus animi male habentibus affectibus, colluctatur, quia homo est & sensum exuere non potest, quamdiu jubente Deo corpus habet.

habet. His accedit Amicitia illa accidentalis, de qua §. præc. aliquid tetigeramus: hæc enim etiam est inter accidentalia præmia Virtutis: consistitque in honore, laude, regimine & cæteris dignitatum actibus, quos probi sibi mutuo deferunt (cum enim vir bonus sit honorabilis, id est, ex Ratione dignus, cui honos exhibeatur: boni id nunquam recognoscunt, nisi simul parati sint ad ipsum honorandum: alioquin enim facerent contra Rationem dictantem eum dignum esse honore seu honorandum. Similiter cum vir bonus regno dignus sit, boni id ei deferunt, & ipse vicissim aliis bonis idem non gravate defert: nihilque tam usu venit inter bonos, quam quod libentissime se à se invicem dirigi sinant. Cum enim laudabilis sit vir bonus, propter doctrinam suam, boni illum laudant, adeoque se invicem laudant, suntque sibi invicem discipuli & doctores: & fere nulla insignior probitatis nota est, quam facile velle ab aliquo discere, quod ille ex Ratione doceat.

Cum hæc Præmia inter se communicant boni, tunc non tantum essentialis & Philosophica quædam inter illos intercedit Amicitia, sed etiam vulgaris, & quam populus facile videt ac notat: sed hæc Amicitia

citia abest à multis probis, eo quod se invicem non satis noverint, absunt enim aliquando inter se, sed & adsunt etiam aliquando inter se, mutuam tamen probitatem ignorantes: quia animus & intentio hominis, unde omnis virtus pendet, per se non patent, sed subinde tantum conjecturâ aliquâ percipiuntur ex Mediis, quæ extrinsecus adhibentur ad finem illum, quem sibi consequendum præstituunt: hæc vero Media sæpe sunt admodum ambigua: nam probi quidem immane differunt ab improbis secundum intentionem, & animi sui sententiam: secundum externas vero actiones subinde parum differunt, ut videri potest Tract. 2. circa Obligationem præcipue sextam.

Accidentalia Præmia Virtutis aliquando torquentur, & quasi violenter in improbos deflectuntur: (nam & hi honorantur sæpe & laudantur & regunt &c.) quibus tamen proprie nec Præmia sunt nec bona, quia in eos non quadrant, non sunt ipsi his digni; ex dignitate vero illâ & quadratione, pendet omnis eorum bonitas atque suavitas, & tota Præmiorum Ratio: quid enim juvat honorari cum te scis honore indignum esse? Hoc non est jam honorari, sed ludi potius aut irrideri. Aut
fi

si ex aliorum ignorantia honos ille defertur, eo nempe quod illi probum te existiment; jam honos non in te, sed in aliam aliquam personam, quem te sustinere putaverant, cadit.

§. 8. Ultimum Præmium Virtutis.

I P S A V I R T U S.

Cum vir bonus ita tandem penitus pacatus, & tranquillus, & à turbis suarum passionum liber, totus jam vacat Rationi, adeoque sapientiam sibi comparet, doctrinam & discipulos: ex acri illa & assidua contemplatione Rationis seu divinæ legis, summopere crescit in eo amor Rationis seu divinæ legis, summopere crescit in eo amor erga Rationem; Ratio enim tam est pulcra atque divina, ut (quod vulgo de scientiis & artibus jactatur adagium) *neminem habeat inimicum nisi ignorantem.* Atque hic amor Rationis rursus est virtus (ut patet ex definitione Virtutis) atque etiam ipsa virtus est inter sua Præmia, & quidem pulcerrimum maximumque sui Præmium, & merces ipsa est: quod & Poëta vidit, cum dicit:

Ipsa sui merces rerum pulcerrima Virtus.

Itur itaque divino prorsus & æterno curriculo de Virtute in Virtutem : felix qui se ipse & desideria sua omnia intra hunc circulum conclusit : & qui ideo tantum probus esse vult, ut semper magis magisque probus sit.

§. 9. Pœna Peccati.

Non est una, sed quamplurimæ : omnes cur sint : & in genere hoc §. perstringemus.

Cum igitur peccatum non sit aliud quam amor sui, hinc nascitur primum in malis diligens auscultatio ad sua commoda & voluptates, & modos eos, quibus hæc comparari possunt, quæ sollicitudo seculi, (ut Christiani eam vocant) & respondet diligentia : sicut enim diligentia est prima filia Virtutis, sic sollicitudo est prima filia peccati : hæc autem conjungitur cum magna tristitia & anxietate : tristitia quidem oritur ex eo quod bono suo, quod unice & tam impense amant (id est, sibi ipsis) tam multa deesse videant : anxietas vero, quod tam difficile videant esse supplementum omnium istorum defectuum, & quod cupiditates suas tam ægrè exsaturare possint : discunt enim
 expe.

experientia & ipso sensu (nam ad Rationem non magnopere attendunt) se quo plus habent , eo plus desiderare : atque adeo semper egenos & mendicos esse se , ad quamcunque devenerint fortunam. Ex solitudine tanquam labrusca quadam malæ istius vitis , nascitur calliditas , astutia , versutia (quæ à Christianis prudentiæ seculi vocatur) & consistit in perceptione ac intelligentia mediorum , quæ faciunt ad commoda & voluptates suas.

Post oritur servitus (quæ respondet inter filias Virtutis Obedientiæ) quia sibi ipsis serviunt mali , omnia , quæ per versutiam ad sui commodum spectare intellexerant exequentes : hujus autem amarissimæ fructus sunt infinita tædia & Calamitates , turpitudines & vernilitates , ad quas se ipsi inter serviendum sibi abjicere debent : cum tam multa passim illis occurrant in hac senili servitute contra animi sui sententiam. Quam sæpe enim media , quæ callide ad sua commoda voluptatesque adhibuerant , frustrantur eventu suo & optato successu ? Navis commode parata erat , ex amissim instructa , in Indiam solvit , sed tempestate demergitur , aut à prædonibus capitur : oratio , disputatio optime erant instructæ ad gloriam & laudem , sum-

mâ curâ compositæ, summo studio elaboratæ, honos vero nullus successit, nullus applausus, sed ludibrium & irrisio: quæ omnia in bonum virum nunquam cadere posse, satis patet ex ante-dictis: non vult enim ille nisi Obligationibus suis parere, quibus etiam tum paruit maxime, cum Media, quæ ad certum finem destinasse videbatur, vel maxime successu suo frustrari videntur.

Post servitutem aut cum illâ nascitur angustia (hæc inter filias Virtutis Justitiæ respondet) hac angustia mali præcise tantum faciunt, quantum spectat ad sua & se: V. G. tantum & eousque benefaciunt aliis, quantum & quousque remunerandos se vident, aut quantum spectat ad gloriam, pompam & similes passiones: ne hilum plus, nisi sæpe Ratio dictet, aliquid ultra præstandum esse: V. G. si offendant in publica platea aliquem vulneribus confossum, subvenient, vicinorum opem implo-rabunt, Chirurgum accersient &c. (inde enim gloriam sperant, & ni sic fecerint, infamiam metuunt) sed si idem illud spectaculum illis occurrat peregre, pertransibunt, nihil in rem illam agentes; aut si miseratione ducti etiam hic aliquid egerunt, certe hoste vel capitali inimico simili-
liter

liter affecto, eo quod commiseratio hic absit, & odio succubuerit, nihil agent, non subvenient, & ita semper tantum præcise præstant, quantum sui contemplatio permittit, non ultra.

Ex hac angustia oritur desertio, quia mali & suos deserunt, & vicissim à suis deseruntur, unde illorum hic proprius est versiculus,

Dum fueris felix multos numerabis amicos:

Tempora cum fuerint nubila, nullus eris.

Tamdiu enim sibi mutuo adsunt, tamdiu præsto sunt & opitulantur, quamdiu mutuum *interesse* (sic vocant) hoc postulat; sed hac causâ sublatâ diffugiunt & se invicem in summis Calamitatibus, ac extremis anxietatibus deserunt.

Sed dices etiam boni se invicem subinde deserunt, cum vel opitulari non possunt, vel etiam ex ignorantia invincibili putant se opitulari non debere. Resp. Boni nunquam proprie se deserunt, sed sunt semper conjunctissimi, tum consensu animorum, tum etiam amore mutuo, ut satis patet ex iis, quæ de Amicitia diximus. Boni tamen aliquando accidentaliter bonos deserunt, nempe quoad extrema Officia & accidentalia Præmia Virtutis, sed
hoc

hoc considerationem non meretur, dum mentem reflectimus ad illud vinculum, quod inter eos essenziale est; & verum quidem est, malos etiam se invicem accidentaliter tantum relinquere; sed hoc notatu dignum est, quod etiam nunquam essentialiter conjuncti fuerint: cum enim eorum quisque se tantum amet, semper fuerunt ac sunt inter se deserti ac derelicti sine ulla conjunctione verâ & animorum consensu: tantum conspirant subinde in quibusdam mediis, quam conspirationem accidentalem connexionem vocavimus, ubi de Amicitia egimus. Non est igitur mirum, si ita percellantur & consternantur mali, cum accidentalem illam connexionem dissolvi vident, quia nullam habent inter se aliam connexionem, nullam etiam cum Deo Amicitiam (ut quæ Virtutis folius primum & speciale est Præmium) unde eo casu, quasi uno ictu avulsos se, reclusos & desertos vident ab omnibus. Boni vero non magnopere affliguntur; nisi subinde etiam à bonis accidentaliter deserantur: facile enim vident, se cum Deo suo, cujus intimi amici sunt, conjunctissimos manere. Tum etiam cum iis ipsis, à quibus deserri videntur, manere essentialem illam connexionem, quæ in summo animorum

morum consensu, summâ similitudinæ, & ferventissimo amore mutuo consistit: hanc tolli non posse, quamdiu boni boni sunt.

Post servitatem, angustiam, & derelictionem oritur ex peccato turpissima ejus filia Superbia, quæ non aliud est, quam contemptio Rationis: ita ut peccatum perversum sit ordine, atque præposterum, virtus enim, quæ sola ordinata est, incipit amore Dei seu Rationis & desinit ac consummatur in contemptu sui; peccatum vice versâ incipit ab amore sui, & desinit ac consummatur in contemptu Rationis ac Dei, merito igitur perversitas vocatur.

Tandem quia Ratio per Passionis incrementum indies sibi assumentes magis continuo magisque obfuscat: hinc illam continuo magis ignorantes, magis etiam continuo contemnunt & negligunt, magis omnia ad se solos dirigunt, & se solos in rebus omnibus spectant: adeoque peccatum etiam sui Pœna fit.

Quantum ad indignitatem improborum, facile hæc per analogiam (oppositionem) ad proborum dignitatem intelligitur: sunt odibiles, sunt serviles, imo servi: sunt infames seu infamia digni: sunt
con-

144 *Antipath. malorum erga Bonos, §. 10.*

contemptibiles : nati sunt incredibilibus
anxietatibus, miserrimâ tristitiâ, & despe-
ratione affligi, quæ omnia satis superque
intelliguntur ex ante-dictis.

§. 10. Antipathia malorum erga Bonos.

Virtus quidem consistit in intentione,
seu proposito animi, quod quidem
secundum se abstrusum est, & ad oculos a-
liorum hominum non pertinet: subinde
tamen præsertim in vultu & oculis, nescio
quâ suavitate & honestate se prodat, tum
vero efficit in improbis multas Passiones,
quas aversiones, tædia, fastidia, contem-
ptus, & uno verbo Antipathias nominare
possumus.

Secundo improbi deprehendentes dili-
gentiam proborum, præsertim qua parte
aversionem à rebus sensibilibus spectant,
non considerant probos aliter quam stupi-
dos, hebetes, insensatos; quia scil. rebus
sensibilibus, quibus se tantopere capi vi-
dent, quibus occupantur & emerguntur
toti, nuncium remittunt probi. Pruden-
tiam sapientiamque; quam ex diligentia
sua consequuntur probi, improbi non
considerant aliter, quam ut stultitiam, ut-
pote quæ probos nullatenus instruat circa
sua

sua commoda, sed potius obtusos eos & inidoneos reddat, ubi res eorum agi videtur.

Obedientiam, qua quid dictaverat Ratio, exsequuntur probi, habent pro intolerabili dementia, & velut pro summo gradu stultitiæ: aliquatenus enim adhuc ferunt eos, qui speculative se habent in negotio Virtutis, imo se ipsos aliquando cum illis numerant (gloriosum enim hoc illis videtur, & argumentum acris ac subtilis ingenii) sed hoc in praxin, hoc ad usum vitæ reducere meræ insaniæ esse censent: *Non sunt hæc*, inquit (quæ hodie usitata phrasis est) *de pane lucrando: Men koopt geen Brood voor dese grillen. His caminus non fumat: De Schoorsteen roockt'er niet af.* Justitiam improbi habent pro futilitate, pro minutiis & miseria: cumque Justitia Deo & Rationi satisfaciat, improbis minime satisfacit.

Tandem humilitas sola est, quam aliquando mirantur in probis: unde ab hac incipit eorum hypocrisis: & omnes fere improbi, qui sub Virtutis larva aliis se venditant, primo simulant humilitatem: unde boni aliquatenus per humilitatem tuti sunt apud improbos; non obsunt enim, omnia ad se rapientibus ii, qui sua negligunt,

gunt, & Deo ac Rationi tantum serviunt, ex quo etiam fit, ut improbi, quo à mutuis fraudibus, rapinis & violentiâ tuti sint, simulent se humiles esse, se suorum commodorum Rationem nullam ducere, sed Deo tantum & Rationi vacare: sperans enim hoc pacto evasuros se (& evadunt sæpe satis caute) mutuos casses. Interim quia humilitas ita negligit sua commoda, ut tamen Deo & Rationi obediant, qui subinde jubent aspirare ad dignitatem aliquam, ad opes &c. quæ mali per se appetunt, hinc subinde fit, ut boni simul ac mali, competitores ac corrivales sint, seu idem appetant & ambiant, diversissimo quidem proposito, sed tamen idem: tunc vero ab improbis pessimo odio habentur: cogitaverant enim, & ita animum suum induxerant, probos Deo suo & Ratione contentos esse debere (& sane sic contenti sunt boni, ac libenter ista competitione carerent, libenter aliis cederent, nisi Deus aliter juberet, nihil illis juris dandum esse in rebus hujus mundi, abarcendos à dignitatibus & muniis publicis, ab opibus & honoribus prohibendos. Unde improbi longe ægrius ferunt, probum competitorem, quam aliquem sibi quadantenus similem, id est, improbum.

Quan-

Quantum ad Præmia Virtutis, hæc dum patent, ingentem improbis creant invidiam; sed plæraque pulcerrimaque istorum Præmiorum latent improbis; & imprimis Amicitiam, quæ inter Deum & virum probum intercedit, irrident & explodunt tanquam melancholicum aliquod & fatuum commentum. Dum nihilominus vident aliquando externos aliquos istius Amicitiaæ fructus & proborum res ita dirigi, adeo ut ipsi improbi omnibus suis fraudibus, strophis & malis artibus, omni suâ sævitiâ & potentiâ, nihil contra illas perficere aut valere, tum vero dirumpuntur, & diras tum in bonos, tum sæpe etiam in eum, qui bonos tuetur, Deum (quod dictum horribile est) evomunt, nihil enim ægrius ferunt, & pro indignissimo habent, humiles illos, & nullam ducentes sui Rationem, tam bene agere, tam è re suâ agere, ac si id unum egissent (quod equidem ipsi egerunt nunquam) ut rebus suis quam optime consulerent, unde nonnunquam illis hoc in ore: *Stolidis & felicibus nihil opus est sapientiâ.* Intelligunt nempe perverse admodum per sapientiam suam calliditatem, & suas strophas, quibus se jactant, & velut sapientes venditant.

Quantum ad pacem cum passionibus,
& tran-

& tranquillitatem bonorum, hæc illis, utpote in fronte aliquatenus sedens satis pulcra & amæna videtur: ideoque gloriosum existimant illam etiam habere: cum vero se illâ quam maxime carere videant, simulant illam altâ simulatione & hypocriſi: unde quosdam eorum videas, qui patientiſſimorum hominum modetiſſimorumque veræ ſimix ſunt. Quantum ad ſapientiam, de ea diximus: pro ſtultitia illam habent improbi: ſed doctrinam peſſime oderunt in bonis, præſertim cum vident ſe ab iſſis tam ad vivum depingi, ita ſuis coloribus totam ſuam perversitatem & calamitatem delineari, & proſus graphicè deſcribi: id eſt, plerumque tam feliciter probi faciunt, ut inſtar Dei alicujus videantur, intimas eorum cogitationes inviſere, miſeriasque, quas altâ ſimulatione premunt improbi (ut pro parte videre potes, ubi de mundo diximus) penetrare & pervadere: unde etiam cum probi per doctrinam ſuam generaliter loquuntur (doctrinæ enim atque ſcientiæ univerſalium ſunt & non ſingularium ut ſcholis omnibus decantatum eſt, & verum) ita tamen vivaciter rem totam explicant, eamque (quod dicitur) acu tangant, ut improbi, qui eos forte audiunt, ſe ſigillatim atque
in

in individuo notari putent, quo tanto pe-
re exacerbantur, ut sæpe conspirent in ne-
cem probi viri, quod genus necis marty-
rium Christiani vocaverunt, & quam
pluribus bonis propter doctrinam accidis-
se memorant.

Dignitatem viri boni etiam contem-
nunt improbi, sed actum istius dignitatis
seu Præmia accidentalia Virtutis in pretio
habent, & omnino ea sibi vindicare volunt:
honorabiles esse non volunt, sed honorari:
non regii, sed reges esse & tyranni: non
laudabiles, sed laudati: deniq; non digni
voluptatibus, neque eos esse qui nati sunt
in voluptatibus esse, sed tamen in volupta-
tibus esse volunt. Ex quibus clarissime pa-
tet, illos penitus negligere Deum, essen-
tiam, dignitatem: sed tantum adhærere
accidentibus & contingentibus, in his to-
tos esse: quæ ipsorum vanitas est, ut bene
à Christianis notatur.

Quia vero hæc accidentalia Præmia re-
vera & in purâ suâ naturâ haberi non pos-
sunt sine Virtute, hinc omnes improbi
aliquatenus sunt hypocritæ, & sicut tan-
tum habent speciem Virtutis, non ipsam
Virtutem: sic etiam speciem tantum &
umbram hujus aut illius Præmii acciden-
talis, nunquam vero ipsum Præmium
confe-

consequuntur: honor enim (ut unum exemplum sit instar omnium) qui improbis exhibetur, aut per vim extortus, aut per adulationem fictus, aut ex ignorantia delatus est: quis autem non videt, nullum honorem, honorem esse: nam qui ex ignorantia defertur, cum scil. probi existimantur, verus quidem honos esse potest. sed non cadet in ipsos, ast in personam illam, quam sustinere existimantur, id est, in personam viri boni: qui vero per adulationem fictus est, certe fictus est, nec potius ad verum honorem pertinet, quam is, quem scenico tyranno defert satellitum & procerum ficta illa in theatro turba: denique qui per vim extortus est, non magis valet, quam omnis, qui per metum extorquetur contractus, hic ipso jure, ipso naturæ lumine nullus est. Et alioqui clarissime omnes intelligimus, testimonium, quod in sylvis forte, sub sicâ latronis dedimus, nullum esse testimonium, nec posse ei alibi prodesse, etiamsi virum bonum esse mille modis ibidem testatur esse, simile quid facile intelligetur de regimine, voluptate & aliis accidentalibus Præmiis Virtutis, cum ea subinde in malos derivari aut detorqueri videntur: cum enim bene examinantur, & non tantum ex fronte
asti.

Antipath. malorum erga Bonos, §. 10. 151

æstimantur, videbimus hæc omnia in
improbis commentitia esse, & nomen
quidem ac exteriorem speciem apud po-
pulum præ se ferre, cæterum re ipsâ &
energiâ carere.

ETHI.